



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SPECTABILE QUIDEM** ABBATIALE TEMPLUM SANCTO BENEDICTO ABBATI DICATUM  
IPSUMQUE IN ARCHIDIOECESI OLINDENSI ET RECIFENSI SITUM,  
AD DIGNITATEM BASILICAES MINORIS ATTOLLITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Spectabile quidem templum sancti Benedicti Abbatis, quod intra archidioecesim Olindensem et Recifensem invenitur, satis antiquam repetit memoriam. Ibidem Sanctus ille paeclarus non modo colendus exhibetur, sed eiusdem mens et paecepta cunctis demonstrantur. Insignes insuper reperiuntur sanctorum reliquiae, quae non solum praeterita eximiaque exempla significant, sed ad ulteriora maioraque patranda incitent. Pastoralis paeeterea ibidem actio efficaciter explicatur ad communitatis ecclesialis utilitatem ac spiritalem progressum. His ob oculos habitis rebus, Venerabilis Fratris Iosephi Cardoso Sobrinho, Archiepiscopi Olindensis et Recifensis, precibus occurrentum sine cunctatione censuimus, qui suum simul ostendens postulatum simul suorum fidelium, enixe efflagitavit ut abbatiale templum Sancto Benedicto dicatum, quod in ipsius Archidioecesi reperitur, in Basilicarum minorum album referretur. Itaque ea quae statuit Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum comprobantes, factis a Nobis quondam potestatibus, Apostolica pro Nostra auctoritate sacrum aedificium, de quo supra est facta mentio, Basilicae minoris dignitate honestamus ac decoramus, cunctis additis iuribus et privilegiis, quae ad id genus tempa pertinent. Serventur deinde quae decretum iubet «de titulo Basilicae minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX evulgatum, quibuslibet minime obstantibus rebus. Omnes profecto sat sciunt quae saeculorum decursu fuerit sancti Benedicti paestantia quodque momentum. Ad eiusdem ideo opera mentem et animum referentes qui nunc sunt fideles, studiose potiora ac probatiora continenter eligant. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVIII mensis Iulii, anno MCMXCVIII,*  
*Pontificatus Nostri vicesimo. ANGELUS card. SODANO*  
*Secretarius Status © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana*